

Urbanus Regius<sup>1)</sup> an Vadian.*Ingolstadt. 1517. November 8.*

Bericht über die Aufnahme des von Vadian empfohlenen Tranquillus. Mitteilung der vom Kaiser erhaltenen Dichterkrone. Dank für eine übersandte Schrift des Ursinus.

Magister Urbanus Rhegius Ioachimo Vadiano, philosopho, medico, poetę et oratori laureato s(alutem).

• Tranquillum, quem mihi tam diligenter commendasti, mi Vadiane, tuo nomine excepi reverenter eumque principalis aulę præfecto ac ceteris viris primariis commendavi; effeci denique, ut hactenus apud nos honeste vixerit. Eius colloquio mirum in modum ob singulares facetias delectamur, disserimus persæpe<sup>a)</sup>, tractamus locos philosophię eo præsentē in mensa; sed nescio quo pacto nomen philosophię exhorret, quemadmodum eius farine Itali plerique omnes. Quicquid ex philosophię sacrario depromimus, quod abditum est, id omne aut barbariem adpellat aut sophistarum laqueos, philosophiam moralem subinde extollens, nec intelligit philosophię partes eo nexu cohęrere, ut separari nequeant. Hęc de Tranquillo nostro. Ceterum insignia doctoratus in utraque medicina gestas variisque honoribus præfulges; quare tibi, clarissime vir, ex animo gratulor. Indicabat non obscure ante aliquot annos Gallus ille tuus, nitore dicendi et eruditione omnino absolutissimus, quid præstare posses in medicina. — Bene et præclare cum conterraneis meis agitur; gradatim ad summa quęque quam felicissime<sup>b)</sup> nituntur, mihi que alioqui desidi stimulos et calcaria subdunt, ne solus inglorius atque ignobilis delitescam tantisque viris, tam docta sodalitate literaria indignus sim. Nuper enim, nescio quo Apolline excitatus, aulam Cæsaream ingressus lauream poetice atque oratorię ab invictissimo imperatore petii votique compos et perhumaniter

tractatus abii. Aderant viri undecunque præstantissimi, aderant non pauci Ei  
 Mæcenates<sup>c)</sup>, inter quos primus ille Iacobus Spiegel plane amicum et  
 Musarum patronum præstitit; eo forsitan faventius, quod olim Iacobo  
 Wimphelingo, homine in nostris literis docto, præceptore usus sum.  
 Mitterem ad te aliqua Eckiana, sed nondum typis excusa sunt. Quod  
 autem eleganti opusculo Ursini me donasti, gratias tibi maximas ago,  
 mi Vadiane, acturus maiores, si quidpiam<sup>d)</sup> degustandum mihi propi-  
 nares, sub tua incude fabrefactum. Te enim tuaque omnia haud secus ad-  
 miror, ac si ex Delphica cortina depromerentur. Fama est, te poeticam  
 scribere atque alia ingenio tuo fecundissimo edere, quæ omnia ceu delicias  
 amplexari cupio. Fac ergo ad me vel pretio<sup>e)</sup> vel prece aliquid trans-  
 mittatur, ut privatus amici colloquio vel imaginem amici habeam, qua  
 animum studiis fessum interdum oblectem. Vale Musarum decus unicum.  
 Ex Angilostadio, 8. die Novembris, anno 1517.

Nocte post pocula fœcunda, cum Ricchardus Sprulius, homo  
 eximie notę nostrique studii professor, adfuisset.

Ad clarissimum virum, dominum Iochimum Vadianum,  
 philosophum, medicum, poetam et oratorem laureatum,  
 honestarum literarum in florentissimo Viennensi gym-  
 nasio ordinarium professorem, amicum optimum.

a) „persepe“. — b) „fœlicissime“. — c) „Mæcenates“. — d) „quidpiam“. — e) „pretio“.

f) Vgl. zu Brief 97.